



# I. N. F.

## §. I.

**D**EUM, in Augustissimâ suâ peripheriâ sicuti pro centro atqve cardine, Theologia agnoscit, omnesqve suas cogitationes, ad ejusdem cognitionem dirigit; ita nec minus in suâ amplissima Encyclopædia omnes Philosophia contemplationes, ad principium rerum omnium primum ac primarium reflectit DEUM. Ratio enim atqve cogitatio humana cum nequaquam in humilium ac visibilium acquiescere possit ac debeat scrutinio; utili non minus quam laudabili audacia, plus ultra ad rerum omnium Actorem Auctoremq; sese tentat attollere. Quocirco jam gentilium quondam, de immenso rerum summoq; contemplando eminens Principio fat egit semper sagacitas. Licet illa ipsa non raro, tum in vero ac immortalî principio investigando, tum in investigato penitus considerando, nimis admodû, ut *Senec. in Lib. de vit. beat. cap. inquit ultim. fuerit mortalis.* Non expedit in præsentî, prolixioribus verborum diatribis, diversa non minus quam perversa veterum Sophorum, essendi referre principia: præsertim cum illa ipsa Censor gentilis philosophiæ acerrimus, *Augustinus, in Lib. VIII. de Civ. DEI Cap. II. p. 712.* tam quoad originem, quam quoad ordinem, exponat fidelissime. Quin potius constanter nobis asseruisse sufficit, ob deficientis vel neglecti sacri voluminis solidam de Triuno Principio hypothesein; stolidam vel dubiam, de efficto vel confuso quocunq; principio, enatam esse rationis delirantis thesin, imo absurdam Manichæorum, de geminis, sibiqve invicem contrariis principiis, hæresein Sicuti hoc ipsum, nobiscum adstruit supra commendatus *Augustin. Ad quod vult Deum, hæres. 46. Tom. 6. nec non Clariss. Drechslerus, in Εὐκλῆσιᾶ §. 65. p. 134. item §. 69. & §. 70. pag. 146.*